



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

16 Excommunicatio, quando sit ipso jure nulla. Idem, quod supra num. 4.
Jurisdictionis defectus insanabilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

Novum; sed ab ipsis mundi primordijs hæc 15
 via solebat Deus de peccatis nostris pœ-
 nis sumere, ac hominis contumaciam
 vindicare *Genes. cap. 3*, Quapropter, cum
 locustæ, & bruchus, cœteraque ejus ge-
 neris animalia, ob peccata hominum,
 excommunicationes, mandataque Dei
 contemnentium divinitus mittantur,
 soleatque Deus in creaturis irrationabili- 16
 bus, ut in humanum usum, & propter
 hominem factis hominem percutere: sen-
 tentiam excommunicationis, ac censuris
 in illas uti non debemus, sed orationi-
 bus, nec his remedijs sunt expellenda hu-
 jusmodi animalia. Si enim sunt, ut pijs-
 sime, verèque credendum est, talia flagel-
 la à Deo, cur ad sinistram potius, quàm
 ad dexteram deflectas? Cur Deum relin-
 quens, qui vulnerat & sanat, mortificat,
 & vivificat, ut 1, *Regum cap. 4*, ut te ab
 hisce liberet ærumnis ad alia confugas?
 Durum est sibi contra stimulum calcitra-
 re, *Act. Apost. cap. 9*, & *Cassian. eod. 17*
conf. 1, numero 58, Tunc tantummodò à
 tuis reptum te videbis angustijs, quando
 indè medicinam devotè poposceris,
 unde iusta in te noveris flagella deve-
 nisse.

14 Sunt enim muscæ † Dei miraculo pec-
 cantium vindices, Capra enim in Hispa-
 nia Gerunda à Carolo Siciliae, & Philip-
 po Francorum Regibus, cum milites vim
 inferrent sepulchro Sæcæi Narcisi, mus-
 carum adeò ingens inde prodijisse tradi-
 tur multitudo, & in exercitū irruisse, tam
 infesto impetu, ut in fugam illum verte-
 rit, & ab incepto desistere coegerit, il-
 lata magna clade, ut post Baron, quem
 citat Majol. *de admir. natur. reb. colloqu. 5*,
 §, *Megareses pagina mihi 224*.

Excommunicatio enim, † ut sit iusta,
 quatuor concurrere debent, jurisdictio
 excommunicandi: causa vera, & ratio-
 nabilis: monitio competens præcedens,
 & causa expressa in sententia, ut per Graf.
in decis. cap. 3, num. 5, par. 1, lib. 4, &
 Abb. *in cap. ab excommunicato, num. 5, &*
sequent. de rescript.

16 At hoc casu † deficit jurisdictio, & de-
 fectus jurisditionis est insanabilis, gloss.
 † *in clem. unic. de seq. poss. & fruct. l. 2, in*
fin. de pœnit. & Alciat. conf. 77, num. 8,
vol. 2, Non enim habent Episcopi jurisdi-
 ctionem excommunicandi animalia irra-
 tionalia, sed tantum rationalia, &
 pro peccato mortali, ut *cap. nemo Episco-*
porum, 11, quest. 3, cum alijs supra num. 4,
allegati, Vbicumque enim datur inhabili-
 tas, seu incapacitas in agente, vel patien-
 te, excommunicatio est ipso jure nulla,
 Abb. *in d. cap. ab excommunicato num. 5,*
vers. pro primo membro de rescript.

17 Deficit etiam citatio, seu monitio, &
 licet officio judicis detur illis procurator,
 & citetur, seu moneatur ad sententiæ
 nullitatem, paria sunt, quem non esse
 citatum, vel non esse legitimè citatum,
l. ea que, & ibi Bar. num. 1, & 2, C. quo-
modò & quando jud. Citatio autem est de
 jure gentium, seu naturali, *Clem. pasto-*
rali § cœterum defectus de re jud. Bald. in
l. fin. num. 3, C. de leg. & Alex. in conf. 11,
num. 1, lib. 7, & sic, ut pars possit compa-
 rere, & postea deliberare, an cedere ve-
 lit, vel contendere. Animal verò, quod
 ratione & anima careat, hæc facere mi-
 nimè potest, & idè illa ficta citatio nul-
 lius esse roboris, vel momenti. Quilibet
 enim actus necessariò explendus, validè
 debet expleri: & agens non agit, nisi in
 pæ-